

ditior sit illa quae nubit. Uno enim facultates mariti
imminuuntur, alio libertas et auctoritas derogatur. Quis
praeterea illas enumerare molestias possit quae dominis
ingeruntur a servis ? Haec ergo, Theodore, vita credenda
15 est, unam discerpi ac dividi animam in tam varias
rerum ac personarum necessitates, tot hominibus servire.
tot vivere, sibi autem soli tempus omne vivendi penitus
denegare ! Nihil horum apud nos, dilectissime, quod et te
teste confirmo inveniri potest. Illo enim ipso perbrevis
20 tempore, quando paulisper demersum fluctibus caput
expedire temptasti, memor es quae dulcedo, quod gau-
dium tuae se menti diffuderat ? Non est profecto, non est
omnibus solutus ac liber, nisi solus ille qui Christo vivit
ac servit. Ille semper universis quaecumque sunt malis
25 superior invenitur. Tantum ut se ipsum adversum se uti
nolit inimicum, alius ei obesse non poterit. Nullius
unquam rei captiva iugo colla submittit, non facultatum
damnis sollicitatus est, quippe qui dicit : « Nihil intulimus
in hoc mundo neque hinc quicquam auferre poterimus. »
30 non gloriae aut honoris cupiditate superatur. Scit enim
quod « nobis dignitas nostra servatur in caelo ». Non (sae-)
vitiis, non plagis ad iracundiam commovetur. Unum tan-
tummodo Christianus iudicat malum solamque formidat
Domini caelestis offensam. Nam illa alia, hoc est imminutio
35 pecuniarum, amissio patriae, periculum vitae, quorum
omnes etiam memoriam perhorrescunt, perniciose prorsus
esse non credit. Hinc autem aliquando migrare et ad su-
perna transire dulcius fore sibi ipsa vitae istius luce con-
fident. Ut si quispiam rupis excelsae verticem tenens pela-
40 gus omne prospiciat multosque inde navigantium crebris